



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita Abbatis Thomæ Apocrysarij cœnobij Apamiensis, & de miraculo  
corporis eius post mortem. Capvt. LXXVIII.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

ignem. Nos ergo putabamus, quòd ignem aliquis illic accendisset. Cùmque per dies plurimos illud aspiceremus, ascendimus die quadam, & nulla ignis indicia vidimus, neque ignem, neque aliud in sylua igne adustum. Rursum sequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis mensibus ignem hunc vidimus. Nocte vero quadam assumptes quosdam ex vico cum armis propter feras, ascendimus in montem ad lucem, que apparuerat, mansimusque vbi lux erat usque ad diem sequentem. Mane vero facto, aspiciamus montem dicam speluncam in eo loco, vbi lumina videmus. Ingressi autem inuenimus Anachoretam defunctum. Erat autem indutus <sup>1</sup> cilicio, & pallio, tenebatque in manibus <sup>2</sup> argenteam Crucem. Inuenimus etiam chartam ita scriptam: Defunctus sum ego Ioannes humilis indictione quintadecima. Computatis ergò annis, inuenimus eum ante septem annos defunctum esse. Ita vero erat integer, ac si die eadem obiisset. Sublatum ergo in Ecclesia <sup>3</sup> cum honore sepeliuimus.

<sup>1</sup> Cilicium habitus fuit multorum sanctorum.

<sup>2</sup> Tenebat in manibus argenteam Crucem.

<sup>3</sup> Ecce sepulturam honorificam.

*Vita Abbatis Thomae Apocrysarij cœnobij Apamiensis, & de miraculo corporis eius post mortem.*

C A P V T. LXX XVIII.

**C**um venissemus Theopolim, presbyter quidam ipsius Ecclesiæ narrauit nobis de Abbate Thoma; quòd Apocrysarius fuerit cœnobij, quòd est in partibus Apamiæ. Venit ergo senex Theopolim pro utilitate monasterij, & cum hic remoraretur, defunctus est in Daphne in templo

templo sanctæ Euphemie. Clerici autem ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum inter peregrinorum sepulchra. Sequenti verò die humauerunt & mulierem, & imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda. Circa horam verò sextam<sup>1</sup> euomuit illam terra. Loci verò illius accolæ videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deinde rursus vespere sepelierunt ipsam in eodem tumulo, & sequenti die inuenerunt corpus supra sepulchrum. Accipientes ergò corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies, iterum sepelierunt aliam mulierem supra Abbatem Thomam, non cogitantes loci ipsius clerici, quia non permittit quempiam super se sepeliri. Et illam ergo rursus euomuit terra. Tunc agnouerunt, quia non permittit senex mulierem super se humari, abeuntesque nunciauerunt Patriarchæ Donino. Qui omnem simul ciuitatem cum cereis<sup>2</sup> ascendere fecit in Daphnem, & cum psalmodia sancti viri reliquias in urbem ferre. Deposuerunt autem sancti corpus in cœmiterio, vbi multa martyrum corpora condita sunt. Feceruntque supra ipsum breue oratorium.

<sup>1</sup> Non licet indignos cum sanctorum corporibus tumulari, propterea terra toties hanc euomuit.

<sup>2</sup> Ecce christianum sepeliendi morem, cū psalmodia, cū cereis, cū populi frequentia, apud sanctorū martyrum corpora, atque in cœmeterijs, contra id, quod faciunt moderni hæretici.

Inuentio corporis sancti Anachoretæ in monte Amanò.

## CAPVT. LXXXIX.

**N**ARRAVIT nobis quidam patrū, cū Theopoli essemus, quod ascenderit quadā die in montē Amanū cuiusdā necessitatis causa  
 Bb inuenērit.